

tate quàm factò molitus, variorum manibus usus est, sed ultra literam A non pervenit in suo Alphabeto.

§. 86. *Modus Causandi* in eo consistit, qua ratione labor inter eos distribuendus sit. Quidam statuere materias aliis alias assignandas, unum debere omnia colligere quæ ad Tutelam & Curam, alium, quæ ad Hæreditates ab intestato, alium quæ ad substitutiones pertinent &c. Nam ita & olim moris fuisse in Italia ut quidam Doctor in certa aliqua materia excelleret, in aliis esset planè infans, quemadmodum de quodam narrant qui omnes pernoverit Substitutionum difficultates, in cæteris hæserit. Et decere hodie quoque ut in Academiis Professores non ratione Librorum Juris, sed ratione materiarum distribuerentur, alius haberet Materiam Successionum, alius Juris inter vivos; alius Criminalia, Feudalia, Ecclesiastica quasi Semi-Publica; alius Processum, alius denique Institutiones seu Synopsin
 omni-